

IOANNES FRANCISCVS NEGELIN CONSVL BERNENSIS.



Ioannes Franciscus ex honesta familia apud Bernenses natus est anno circiter 1500. Is cum optimâ indole esset conspicuus, à pueris omni genere uirtutum educatus & institutus est. Cum autem adoleuisset, armorum studia dilexit, atque Francisci regis Galliae castra multoties secutus fuit. Vnde rei belli cæ magnâ peritiam nactus, reliquis Heluetijs Gallo militatibus gratissimus fuit. Erat is quoque rebus agendis promptissimus, & singulari prudentia & pietate praeditus. Itaque in patriam reuersus in senatum cooptatur, atque hinc inde ob rerum usum repub. causa legatus mittitur. Accidit autem 1531 ut Medicis quidam ad lacum Luganensem Rhœtos Heluetiorum confederatos molestaret, atque itinera infesta redderet. Ibi Helvetijs Rhœti coniuncti potentem hostem remouerunt, & Mediolanensi ducatu expulerunt. In ea expeditione Ioannes Franciscus Bernensis dux extitit, & multa suæ fortitudinis documenta dedit.